



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. 9. Quonam tempore hoc præceptum obligat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

manducationem unitas Ecclesie intelligatur, quam, ut supra diximus, habemus per Baptismum.

Can. Nulli.  
De Consecr.  
dist. 4.

Quare sanctus Fulgentius relatus in Canone, qui Canon Divo Augustino tribuitur, ait: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando Baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius Panis Calicisque consortio, etiamsi antequam Panem illum comedat & Calicem bibat, de hoc saculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat: Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit: Hoc est unionem Christi cum Ecclesia, quam habemus per Baptismum.*

*Quest. 7. Est-ne de necessitate præcepti Divini sumere Eucharistiam?*

*Resp. Respondet Divus Thomas his verbis: Manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesie, sed ex mandato Domini dicentis Luca*

*22. HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Ex statuto autem Ecclesie sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum. Et Concilium Tridentinum ait: Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit. Est igitur de præcepto Divino sumere Eucharistiam, licet Christus Dominus Ecclesie judicio reliquerit determinandum ejus obligationis tempus.*

Sess. 13. cap.  
2.

*Quest. 8. Quonam tempore præceptum Divinum obligat ad perceptionem Eucharistie?*

De Sacram. Euchar. Cap. X. 183

Resp. Olim ter in anno tenebantur Fideles Eucharistiam sumere, ut patet ex Canone ubi legitur: *Etsi non frequentius, saltem in anno ter Laici homines communicent, in Pascha videlicet & Pentecoste, & Natali Domini.*

Can. Eist. De Consecr. dist. 20

Deinde hoc tempus determinatum fuit à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ut semel in anno ad Eucharistiam Fideles accedere tenerentur. *Omnis utriusque sexus Fidelis, inquit, postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum: nisi fortè, de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Cap. Omnis De Pœnit. & remiss.

Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis negaverit omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Ecclesie, anathema sit.*

Sess. 13. Can. 90

Verùm Innocentius XI. pravam destruere volens quorundam Casuistarum opinionem circa hujus præcepti impletionem, damnavit sequentem propositionem: *Præcepto Communionis annua satisfat per sacrilegam Domini manducationem.*

Decretum Innoc. XI. contra 65. propos. 2. Martii 1679.

Obligat etiam hoc præceptum, cum instat mortis periculum, ut patet ex Concilio Nicæno relato in Canone, ubi legitur: *De his verò qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam tunc, ita ut si fortè quis recedit ex corpore, necessario vita sua Viatico non defraudetur; Proindeque, secundum hoc Concilium, Eucharistia est necessaria necessitate præcepti Divini, iis qui sunt in mortis periculo, cum à Concilio necessarium Viaticum vocetur. Secundò, quia ut ait Concilium*

Can. De his. 26. q. 62

Conc. Trid. Trid. *Panem illum supersubstantia-*  
 fess. 13. cap. *lem suscipere possunt Fideles, cujus vigore*  
 8, *confortati, ex hujus misera peregrinationis*  
*itinere, ad caelestem patriam pervenire va-*  
*leant.* Unde patet tunc scilicet instante morte,  
 Divinum Viaticum, quod Concilia necessa-  
 rium vocant, omninò ex præcepto Divino su-  
 mendum esse.

*Quest. 9.* Si quis paucis ante diebus sacram  
 Communionem perceperit, tenetur ne iterum  
 sumere imminente mortis periculo?

*Resp.* Tenetur, quia instante mortis pericu-  
 lo, nova urget necessitas, novo robore in mor-  
 tis agone opus est, ut patet ex Concilio Tri-  
 dentino supra citato.

*Quest. 10.* Præceptum de sumenda Eucha-  
 ristia in ipsa Paschali solemnitate, debet ne  
 impellere Confessarios, ad impertiendam pœ-  
 nitentibus absolutionem, vel Communionem,  
 quam ipsis aliàs denegarent?

*Resp.* Non possunt, nec debent; nam ita  
 se gerere debent, ut quocumque tempore sese  
 fideles Cœlestium Mysteriorum dispensatores  
 exhibeant, nec unquam ea, quatenus in ipsis  
 erit, sacrilego accessu violari patiantur. Ho-  
 minum v. g. in vitiosos habitus implicatorum,  
 aut in proximis peccandi occasionibus degen-  
 tium Communionem in aliud tempus differre  
 possunt & debent; eam enim facultatem ipsis  
 facit celeberrimus Canon, *Omnis utriusque*  
*sexus*, ubi postquam præcepit omnibus Fide-  
 libus ut suscipiant reverenter ad minus in Pas-  
 cha Eucharistiæ Sacramentum, addit: *Nisi*  
*forte, de proprii Sacerdotis Consilio ob ali-*  
*quam rationabilem causam, ad tempus, ab*  
*hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*  
 Proindeque Confessores qui pœnitentium sa-  
 luti consulere tenentur, ut eos, faciliori per-

Cap. *Omnis.*  
 De Pœnit. &  
 remiss.